

novellam usque ad a. 1142 deduxit, eamque longius continuandam sibi proposuerat (4). Quod quominus faceret, ipsum morte impeditum esse verisimile est. Præterea de Willelmi vita nihil sere constat, qui annos in monasterio Malmesburiensi deguisse videtur, ubi primum librarii, postea præceptoris officium suscepere, abbatis dignitate sibi oblata sed non recepta. Verum etiam in aliis Angliae ecclesiis libros et notitias collegit, quibus in historia conscribenda uteretur; cum viris dignitate conspicuis non raro conversatus est, ex quorum ore quaecunque de rebus apud exteris gestis narraverunt in schedas retulit (5), et quamvis « volaticas famas » se sprevisse dicat, his nimis fisis esse videtur (6).

Cum Willelmus, historia suæ genitæ antiqua elegantius et ornatius descripta, rebus vero suo tempore gestis satius fideliter et candide narratis, magnam sibi laudem comparaverit, multis in eo tamen vituperabilis videbatur quod nimia crudelitate res miraculosas et fabulosas memoriae tradiderit. Et sane negari nequit multa apud Malmesburiensem legi quæ a vera historia longe recedant, eaque maxime in illa libri parte qua aliena regna tetigit. His enim locis plerumque non scriptos libros aliave monumenta fide digna adhibuit, sed rumorem populi, monachorum atiorumque hominum narrationes secutus est, id fortasse studens ut his illecebris propositis clerici et laici ad libros legendos allicerentur. Quæ opinio ipsum certe non fefellerit. Nam posterioris temporis scriptoribus hæc præcipue se commendarunt, a multis exscripta et latius propagata. Neque nobis prorsus displicebunt. Nam si veræ historiæ minus conseruant, ad traditionem et vulgi narrationes medio ævo per gentes circumlatas cognoscendas faciunt.

(4) Liber in his verbis finit: Sed hæc in volumine sequenti Deo volente latius expedientur, quorum loco in aliis codicibus, nonnullis additis, hæc ejusdem sententiæ leguntur: Quæ tamen latius persequuntur animus, si unquam dante Deo ab his qui interfueruere veritatem accepero.

(5) Cf. quæ infra leguntur c. 170: dicam quod a quodam loci nostri monacho, genere Aquitanico, aetate proiecto, arte medico, in pueritia audire me memini; c. 263: serua relatione ejus audiri qui se illa ex ore Hugonis abbatis Cluniacensis audisse juraret; c. 290: Audivi virum veracissimum referen-

tem, c. 293: dicam quod ibidem occidisse vir reverendus mihi narravit.

(6) Ia c. 167: non absurdum, inquit, erit, ut opinor, si litteris mandemus quæ per omnium ora volitant. Cf. tamen c. 194: Occurrunt hoc loco quæ de illo viro seruntur magna miracula — quibus ideo supersedeo, quia estimationem lectoris supergredi nolle, et verba quibus in Gestorum fine c. 445 gloriantur: Ego enim veram legem secutus historiæ, nihil unquam posui nisi quod a fidelibus relatoribus vel scriptoribus addidici.

## NOTITIA LITTERARIA.

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Latinitatis*, tom. III, pag. 452.)

Willelmus Somerset *Malmesburiensis* a Maildulphi curia (Maildulphesbury) monachus ord. Bened. et bibliothecarius ac præceptor Meldunensis sive Malmesburiensis, prosa et carmine et uditus et de historia patria sive Anglorum meritissimus, cuius libros, inquit cap. 166. Lelandus, cum in manus sunto, sumo autem cum frequentissime tum lubentissime, toties vel admirari cogor hominis diligentiam, felicitatem, judicium. Diligentiam, quod passim ostendat se ingentem bonorum auctorum numerum legisse: felicitatem, quod illorum elegantiam et nervos æmulus ipse in suis lucubrationibus belle exprimat: judicium denique, quod multa ab aliis temere scripta, ad incudem revocataque luci et veritati restituant. Vixit adhuc, plura pollicitis anno Christi 1143. Edita ejus scripta hæc sunt:

*Regalium* sive *De rebus gestis regum Anglorum* a primo Saxonum adventu, circa annum 449, ad annum duodecimsum Henrici I, sive A. C. 1127, libri V, ad Robertum Glastoniæ comitem, regis Henrici filium.

*Historiæ novellæ libri tres* ab A. 1127 ad an. 1143, ad eundem Robertum:

*De gestis pontificum Anglorum* ad annum circiter 1125 libri IV, quorum primus est de Cantuariensis, Roffensisbusque. *Secundus*, de Londinensisibus alque Orientalium Anglorum, Occidentaliumque Saxonum episcopis et monasteriis. *Tertius*, de Eboracensisibus, Haugustaldensis et Witternensisibus, Can-

A didæ Case, Lindisfarnensisibus ac Dunelmensisibus. *Quartus*, de Wigorniensibus, Herefordensisibus, Lecestrensisibus, Dorcestrensisibus sive Lincolnensisibus atque Eliensisibus. Hæc scripta Willelmi prodierunt in collectione Historicorum Angliae post Bedam præcursorum, curante Henr. Savilio Lond. 1596, et Francisco typis Wechelianis 1601, fol.

*Librum V de pontificibus Anglorum* primus edidit H. Warthonus in limine tomii II Angliae sacrae, Lond. 1691, fol., et sub idem tempus Thomas Galeus inter Scriptores XV, Oxon. 1691, fol. pag. 337. In eo præter plures de antiquitatibus Malmesburiæ chartas, continetur *Vita Aldhelmi* Shireburnensis episcopi, cuius solam epitomam Baleus viderat, edideratque Mabillonius Sac. Benedictin. IV, pag. 726.

*Vita S. Wulstani* episcopi Wigorniensis ad fratres Wigornienses, libris ni, in tomo secundo Angliae sacrae, pag. 241-270, et cum notis Henschenius tom. VI Maii 25, p. 79.

B *Liber de antiquitate Ecclesie Glastoniensis*, ab eodem vulgatus Galeo in laudata XV scriptorum sylloge, p. 289.

*Epistola ad Petrum monachum Meldunensem, præfixa Joannis Scotti Erigenæ libris v de naturarum divisione*, et ex ms. Thuviano edita a Thoma Galeo ante Scotti libros, Oxon. 1681, fol.

Multa alia condidit Willelmus neclum prolata in lucem, qualia sunt, memorata Lelando cap. 166, Ballo II, 73, et Pitceo p. 209.

*De serie evangelistarum, vario genere carminis, libri XV.*

*Commentarii in threnos Jeremiæ, libris IV ms. in bibl. Cottoniana.*

*De miraculis B. Mariae Virginis, libri IV. De miraculis S. Andreæ.*

*De indigenarum sanctorum miraculis.*

*Epitome historiæ Haimonis, Floriacensis monachi, & Justiniano ad Carolum M. ms. in bibliotheca collegii Baliolensis, Oxon. et in Bodleiana.*

*Genealogia Henrici II regis Angliæ.*

*Itinerarium Joannis abbatis Meldunensis, Romam cum Petro monacho Meldunensi profecti; multis plane, Lelando teste, rebus memorabilibus referatum.*

*De antiquitate Glessoburgensis monasterii, ad Henricum Soliacum Wintonensem episcopum. Baledo Antiquitates Glasconicæ, ms. in bibl. collegii S. Benedicti Cantabrig.*

*Vita Indracti, Hibernia reguli, qui S. Dunstanus discipulus fuit.*

*Vita S. Patricii, libri II ad monachos Glassoburgenses. Vita S. Benigni, S. Dunstanus, libris duobus.*

*De gente Wydenorum sive Vugdenorum. Chronicon libri III, quorum meminimus, præf. ad Historiam novellam.*

*Sermones et Epistole.*

*Ex abbreviacione librorum Amalarii De officiis ecclesiasticis ms. in biblioth. Lambethana locum affert H. Warthon pag. 360 Auctarii ad Usserium de sacris Scripturisque vernaculis. Praefationem Rabano Mauro parvum aequam, ad Robertum amicum, (vescio an diversum a Glocestriæ comite) in cuius gratiam hunc laborem in se suscepit, et epilogum primi ultimique libri edidit Petrus Allixius in calce præfationis ad Determinationem Joannis Parisiensis de modo existendi corpus Christi in sacramento altaris. Lond. 1686, 8.*

## CL. V. HENRICI SAVILII

### EPISTOLA NUNCUPATORIA.

(*Rerum Analicarum Scriptores post Bedam præcipui, Londini 1596, fol.*)

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQUE PRINCIPI

ELIZABETHÆ

ANGLIAE, FRANCIE ET HIBERNIE REGINE.

Historiæ nostræ particulam quidam non male, sed qui totum corpus ea fide eaque dignitate scriptis complexus sit, quam suscepti operis magnitudo postularet, hactenus placet neminem exstissem constat. Nam Polydorus, ut homo Italus, et in rebus nostris hospes, et (quod caput est) neque in rep. versatus, nec magni alioqui vel judicis vel ingenii, pauca ex multis delibans, et falsa plerumque pro veris amplexus, historiam nobis reliquit cum cætera miendosam, tum exiliter sane et jejune conscriptam. Nostri ex face plebis historici, dum majestatem tanti operis ornare studuerunt, putidissimis ineptiis contaminarunt. Ita factum est nescio qua hujuscus insulæ infelicitate, ut majores tui, serenissima Regina, viri maximi, qui magnam hujus orbis nostri partem imperio complexi, omnes sui temporis reges rerum gestarum gloria facile superarunt, magnorum ingeniorum quasi lumine destituti, jaceant ignoti et delitescant. Cui malum medicinam quererem, neque ita essem vel animo vacuus, vel ab illis subsidis et quasi instrumentis historiæ scribendæ instructus, ut opus a fundamento extruderem victurum, serisque nepotibus temporum illorum memoriam transmissurum, feci tamen, quod potui, non invitus, ut ex situ et squalore pulvereque eruerem, et in lucem primus emitterem vetustissimos rerum nostrarum auctores, non illos quidem facundos, sed fidos rerum gestarum interpretes, eo consilio ut alii, qui et otio abundarent et ingeno, hos quasi ad manum haberent rerum nostrarum commentarios, unde sumerent quæ ad tanti operis exædificationem pertinerent. Inter quos cum et narrationis fide et judicis maturitate principem locum teneat GIELMUS MALMÈSBURIENSIS, homo, ut erant illa tempora, litterate doctus, qui septingentorum plus minus annorum res tanta fide et diligentia pertexuit, ut e nostris prope solus historici in unus explesse videatur; hunc mihi cum primis e tenebris erendum tuoque augustissimo nomini inscribendum curavi, et qui olim sæculorum aliquot obscuritatem ingenii sui lumine discussit, nunc vicissim redivivus a serenissima Majestate Tua licet et splendorem mutuelur. Huic proxim, sed longo forsitan intervallo proximi Hudoniensis, et Hovedenus, auctores cum primis boni et diligentes, virissimque superiorum temporum indices; quibus Ingulphum a plurimis antiquitatum nostrarum sitientibus magnopere desideratum adiecimus, et, qui majores tuos propinquuo affinitatis gradu contingit, nobilitatis non minus quam antiquitatis causa Elwardum. Jam vero non id agam, ut longiore oratione, cur in tuo potissimum nomine hoc quantulunque operis apparere voluerim, ostendam; neque rem per se exilem verborum amplitudine ornabo. Nam si, quod a philosophis accepimus, dissimili sit numerum et debitorum conditio, quod in munieribus magna corum quibus offeruntur habenda ratio, debita vero vel minima maximis quibusque sunt persolvenda, quid me hac in causa facere æquum fuit, quem divinis majestatis tuae virtutibus jampridem in tui obsequiis et admirationem raptum, ita porro summis tuis beneficiis devinxisti, ut me meaque omnia noa usq;